

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R



B. D. O. M.
COLLEGII HOMILETICI
EXERCITATIO I.

Quam
Consensu venerandæ Faculta-
tis Theologicæ

SUB PRÆSIDIO
*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excel-
lentissimi Viri*

Dn. JOHANNIS BEHM, S.S.
Theol. Doct. eiusdem Facultatis Se-
nioris & PP. Concionatoris Aulici Borussia-
ci meritissimi, Præceptoris & Fautoris sui
honorandi

Publicè ventilandam exhibet

Illustri Bregelano

LAURENTIUS VVIGANDUS
REGIO- BORUSS.

Habebitur in Auditorio majori,
horis matutinis 22. Decemb.

23



REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1623.





ILLVSTRIBVS GENEROSIS,
Magnificis ac Srenuis Dominis
Dn. FRIDERICO BVRG-
GRABIO & L. Baroni à Dohna
Præfecto Provinciali.
Dn. JOHANNI TRUCHSESIO
à WETZHAUSEN supremo
Burggrabio.
Dn. MARTINO à WALLENRODT
Cancellario.
Dn. ANDREÆ à KREYTZEN
supremo Marschallo.
SERENISSIMI ELECTORIS
Brandenburgicis Consiliariis ac supremis
Ducatus Prussiae Regentibus
UT ET
Consultis. Claris. Excellentissimisque, Viro
DN. CHRISTIANO DORFFERO,
I.V.D. S.E.B. Consiliario, & aulici Iudicii Af-
fessori atq; Consistorii Sambienfis OFFICIALI
Dominis Mecænatibus Patronis & Promotori-
bus suscipiendis
Debitam observantiam huius Exercitii Theologici
oblatione declarare volui
LAURENTIUS VVIGANDUS,

Precatio.



*M*nipotens, misericors & aeternae DEUS,
Sanctissime Pater Domini & Servatoris
mei Iesu Christi, qui dilectissimum &
unigenitum Filium tuum solenni hoc Hierosolymitano ingressu Dominum Gloria
& Regem Sionis, h. e. Ecclesia tua declarasti, & qua per
os Prophetarum tuorum praedicta sunt, plenissime ser-
vast: Tibi miser ego Peccator pro tuo inenarrabili a-
more & gratia etiam hac in parte praestita devotas &
supplices gratias ago; non enim tui suive, sed mei causa
hunc ingressum instituit Servator; ut salutari hoc suo
adventu me exhilararet, gloria regia ex manibus & po-
testate inimicorum liberaret, sua passione me bearet,
paupertate ditesceret, & mansuetudine confortaret. Ve-
nit ad me, ut me traheret ad se; venit propter me, ne
segregarer à te.

Propter salutarem ergo hunc Adventum, aeternae
Pater luminum & DEUS Deorum, cor meum, quaso, ab
omnibus iniquitatibus & peccatorum sordibus mundes,
& in eo sanctuarium filii tui, in quo habitet, aedifices.

Concede Pater, ut lubens sub omni cruce meum
Servatorem in silentio spe & patientia promptissime se-
quar, te in Verbo tuo diligenter audiam, & libenter vo-
luntatem tuam compleam, officia mea Vocationis à te
ordinata rectè expediam, dona concredita ritè dispen-
sem, in q̄ Regno tuum propagem, in afflictionibus non
despe-

desperem, sed filiatione ad quam adoptatus sum me eri-
gam & consolet, siq; etiam malignus ille Satanas qui
dies noctesq; insidiatur mihi, suggererit, quod propter
inobedientiam meam filius tuus esse desperem, atq; jus
filii & adoptionis perdiderim, animose ipsi reponam, te
non desisse parentem esse meum, cum magna misericor-
dia tua, & gratia tua non sit finis; largire quoq; Do-
mine ut humilitatem filii tui sine omni hypocrisi imiter,
nec me extollam, qui cinis sum & cibus vermium, te
non solum hic in Ecclesia militante, & his ultimis affli-
ctissimis diebus auxie ingemescente, voce & corde, sed
& in futura gloria laudem, tuoq; Nomini in con-
sortio ignitorum Seraphim caeleste Ho-
sianna incantem.

A M E N.



INTRODVCTIO GENERALIS
IN COLLEGIUM HOMILETICUM.

V *Instuuti mei rationem habeas, Candide Lector, quãve in hisce Exercitiis methodo progressurus sim, scias; Pramitto, quatuor me Sectionibus seu membris futuram textuum singulorum tractationem absoluturum, quarum: 1. Argumentum, Partitionem & Analysin continebit. 2. Versiones, earumq; varietatem elucidabit. 3. Dubia controversa ex textu promanantia explicabit. 4. Singulos Textus versiculos locis practicis illustrabit.*

EVANGEL. DOM. I. ADVENTVS.

Matth: 21. â vers. 1. usq; ad 11. Marc. 11. â vers. 1. usq; ad 11.
Luc: 19. a v. 29. ad 39. Joh: 12. a v. 12. ad 16.

SECTIO I.
CONTINENS ARGVMENT-
um, Partitionem & Analysin.

ARGUMENTUM.

DOMINVS appropinquans Bethphage v. 1. duos emittit discipulos v. 2. cum instructione de asino adducendo v. 3. juxta vaticinium Prophetar: v. 4. 5. Qui mandatum expeditentes. v. 6. asinum adducunt. v. 7. quo Dominus magno jubilo Hierosolymam intrat v. 8. 9. 10.

A

PAR-



Partitio & Analysis.

Partes tres sunt.

1. CHRISTI INSTRUCTIO.
2. DISCIPULORUM EXPEDITIO.
3. TURBÆ ACCLAMANTIS CONGRATULATIO.

PARS I. continet. CHRISTI INSTRUCTIONEM: in quâ nota: 1. CIRCUMSTANTIAS: 1. *Temporis*: cum appropinquassent. 2. *loci*: venissent Bethphage: 3. *Personarum*:

 { *Mittentis*: misit.

 {

 { *Missarum*: duos ex discipulis.

2. INSTRUCTIONEM IPSAM: quæ informatur: 1. *mandato*, ite: *addito loco ad quem*: in Vicum, *monstrato situ*: qui est contra vos: *Subjuncta causa finali*, ut Asinum solvant, solutumq; adducant, 2. *Præoccupatione*: si quis vobis aliquid dixerit; dicite; *Subjecto eventu*; confestim mittet.

3. PRÆCEPTIONIS RATIONEM: ut impleretur vaticinium Propheticum: in quo 1. *attentionis particulam* præmittit Propheta: 2. *Messia adventum* subjicit; Ejusq; notatur: 1. *Qualitas*: Rex. 2. *Promptitudo* venit. 3. *Adventus modus*: 1. Sedens: 2. super Asinum, qui per *Exegesin* dicitur; Pullus filius subjugalis.

PARS II. DISCIPULORUM EXPEDITIONEM: quam declararunt *promptitudine*: 1. in eundo, euntes: 2. *faciendo & adducendo*: fecerunt sicut &c. 3. *Vestes substernendo*. 4. *Christum iis imponendo*.

PARS III. TURBÆ ACCLAMANTIS CONGRATULATIONEM: quam declarat: 1. *facto* 1. *Vestes viz insternendo*, 2. *Ramos palmarum cædendo*. 2. *Voce*: Hosanna incantando: *facta distributio est ex Effectis*.

SECTIO

SECTIO II.

Continens

Enodationem Textus pro varietate versionum.

Verf. I. Matth. Καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαζὴν πρὸς τὸ ὄρεον τῶν ἐλαιῶν : *Marc:* ἐγγίξουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ Βηθφαζὴν καὶ Βηθανίαν πρὸς τὸ ὄρεον τῶν ἐλαιῶν. *Luc:* ἤγγισεν εἰς Βηθφαζὴν καὶ Βηθανίαν πρὸς τὸ ὄρεον τὸ καλούμενον ἐλαιῶν : *Marcus & Lucas* non tantum *Bethphage*, sed & *Bethania* faciunt mentionem ; *Matthaeum* verò tantum *Bethphage*, quem sequitur *interpres Syrus* ; cuius rationem esse *quidam* putant, quod unius Vici duplex nomen fuerit : sed copula hoc non patitur, quæ est apud *Lucam & Marcum* ; ideoque rectius dicunt *alii*, vicum *Bethphage* à *Bethania* quidem distinctum, attamen ei maximè vicinum fuisse : Et censent *aliqui*, Sacerdotes ex hoc vico Paschales victimas deducere solitos : *Luth:* Da sie nu nahe bey Jerusalem kamen. *Piscator:* Da sie sich zur Stadt Jerusalem genas bet hatten / vnd kommen waren gen Bethphage ; Sic in *Matth:* legit, cum tamen *Lutheri* versionem in *Marc. & Luc:* retineat. Circa vocem verò *Bethphage* observabis :

1. **SCRIPTIONEM** : Nam in antiquis Exemplaribus, pro Βηθφαζὴ scriptum Βεθσφαζὴ : Hanc scriptionem retinet *Theophyl. & Arias Mont:* in *Marc:* in *Matthæo & Luca* priore retentâ ; factum illud vult *Beza* errore Græcorum, quo multa Hebræa sic corruerint. *Syrus* ubique legit כַּתְּפָא : *Munst:* כַּתְּפָא :

2. **DERIVATIONEM**. *Tremellius* ex כַּת & פָּא (*domus Fontis*) compositum vult ut sit *Phage* pro *Phege*, juxta Græcorum φαγη : cum simili permutatione scribatur : *Pharetz* pro *pherez* : *Phaleg* pro *pheleg*, notante *Drusio lib. 2. Prat. p. m. 72.* Adscribam integra verba *Tremellii* quæ sic habent : *Hujus loci meminerunt & Talmudista, ut commemorat Auctor Libri תַּלְמוּד & fortasse à fonte qui ibi erat, nomen accepit : ut enim*



Græci fontem πηγή; Ita Syri, Chaldaei & Talmudista eum vocant יַיִן vel כַּנְּבֵן unde conflatum nomen est כַּנְּבֵן יַיִן quod sonat locum fontis. Hæc Tremellius.

Pasor in *Lexico* triplicem derivationem enumerat: *Prima* est, de quâ diximus; eam verò rejicit, ideo, quod diversarum Linguarum concursus in hac compositione fiat, idq̄ inusitatum & à proprietate Linguarum alienum, censet. *Secunda* est eorum, qui *Bethphage* decompositum esse volunt, nempe ex בֵּית domus פֶּתַח Os & נֶגֶד Vallis: i. e. domus in ore seu faucibus vallis: hanc derivationem retinet *Aretius* in *Notis ad Marcum*. *Tertiam* seu verissimam approbat *Pasor*, qua derivat ex בֵּית & נֶגֶד quod est à rad: נִגַּד idem quod *Græc:* ἑλωφός ut *Schind.* in *Lexico* monet: i. e. domus ficuum præcoquarum seu immaturarum: hanc probat quoque *Chytr.* in *Lexico Theol.* p. m. 418. Qui corruptam scripturam sequuntur ex בֵּית & σφαγή mactatio à σφαίω macto, compositum volunt, ut sit domus mactationis: Hanc retinet derivationem *Hieron:* in 27. *Epist. ad Eust. virginem*; & eum eo sibi non constans *Aret:* in *Not. ad Matthæum*.

3. **SITUM**: fuisse in monte Oliveti, habens Sabbathi iter à Jerusalem saniores tradunt, contra *Davidem de Pomis*, qui falsò locum fuisse, muri Hierosolymitani contendit. Vid. *Drusiam*.

Ἡρὸς τὸ ὄρεον: ad montem, *Syr.* ad dorsum montis. *Tremell:* juxta montem.

Ἐλαιῶν: olæarum: pro ἐλαιῶν. *Act:* 1. v. 12. *Metonymia Adjuncti pro Subjecto*; locus Domino charus, in quem sæpè discessisse scribitur *Matth:* 24. v. 3. *cap.* 26. v. 30. *Marc:* 13. v. 3. *cap.* 14. v. 26. *Luc:* 21. v. 37. *cap.* 22. v. 39. *Johan:* 3. v. 1. in quo etiam ultimam suam externam conversationem clausit. *Act:* 1. v. 12.

ἀπέστειλε δύο μαθητὰς: Misit duos discipulos: *Luth:* sandte Er seiner Jünger zween / addito Pronomine possessivo, *Marcum*



cum sequutus: *Piscator*: Da sandte Iesus zween Jün-
ger,

Verf. II. *Matth.* προέδρα εἰς τὸν κώμω : *Marc.* & *Luc.*
ἔταρατε εἰς τὸν κώμω. *Ite in vicum*: alii in Castellum: *Tre-*
mellius in villam istam: quo nomine quidam Dominum
probrosè appellasse urbem Jerusalem, arbitrati sunt; non
quidem præsentis status, quod vicus, sed futuri eventus ra-
tione, quod jam jam in vicum redigenda esset. Sed fallun-
tur. Nullibi enim Jerusalem vicus vocatur. Quin potius in-
signibus titulis honoratur; *Civitas magna*; *Civitas formosa*;
Civitas magni Regis, &c. neq; ratio addita quicquam valet,
eò, quod Jerusalem non in vicum, sed in pulverem fuerit
redigenda, hoc est planè extirpanda, non relicto lapide
super lapidem: *Luc.* 19. v. 44.

τὸν ἀπέναντι ὑμῶν: *Luth.* der für euch ligt. quàm versio-
nem retinuit *Piscator* non inveniens commodiorem Ger-
manismo congruentem: *Marc.* legit κατ'ἀνὰ; qui ex adver-
so est: *Beza* qui contra vos est, sic *Arias Montan.* & *Trem.*
Tigur. qui est è regione vestri: alii, qui est in conspectu ve-
stro. Credibile est, Dominum δευτικῶς discipulis vicum mon-
strasse. Malè verterunt qui ἀπέναντι, non de ratione *Situs*, vel
loci, sed *qualitatis* & *contrarietatis* interpretati sunt; hoc
sensu; *Ite in vicum*, qui contra vos est, h. e. *Ite in Jerusa-*
lem, quæ contra vos, h. e. vestram doctrinam est, camq; a-
versatur; Hi ut Patrocinium sui erroris quærant, præten-
dunt, *in antiquis exemplaribus* pro κώμω fuisse lectum πόλις:
sed inania hæc sunt, siquidem non tantum textus clarus,
sed & loquendi modus non est inusitatus, ut contra vos,
idem sit, quod è regione vestri, Sicut patet ex illo *I. Ænei.*
Urbs antiqua fuit, &c. *Italiam contra* &c. id est, è regione
Italix:

καὶ ἐνθάδε ἐσηγήσατε: *Marc.* addit; καὶ ἐνθάδε εἰς παρεύμενοι εἰς
αὐτὴν *Luc.* ἐν ἡ εἰς παρεύμενοι: omisso ἐνθάδε.



ὄνον δεδεμένον ἢ πῶλον μὲν αὐτῆς: *Marc.* εὐρήσθητε πῶλον δε-
 δεμένον ἐφ' ὃν ἔδεις ἀνθρώπων κεκάθικε: *Lucas* ἐφ' ὃν ἔδεις πῶλον
 ἀνθρώπων κεκάθικε: Mentionem pulli tantum facientes: qua
 de re in dubiis: *Antiq:* ἔπω ἔδεις ἀνθρώπων: Nemo adhuc ho-
 minum; more Latinorum Genitivo abundante. *Beza*; non-
 dum quisquam hominum, vel nondum ullus homo. Pro πῶ-
 λον, *Iohann.* legit ὄναρον, id est, jumentum, attamen jam e-
 quitationi idoneum; ut patet *Ind. 10. v. 4.* legitur enim a-
 pud *Prophetam 77.*

Λύσαντες ἀράξατε μοι: *Luth.* addito Relativo: Lösset sie
 auff: cum Germanus non dicat lösend auff/ führet sie zu mir:
 ideò *Piscator* quoque Relativum addidit. *Luc. & Marc.* αὐτῶν
 habent, respicientes ad pullum omisso Pronomine μοι.

Verf. III. καὶ ἔαν τις ὑμῖν εἴπῃ τι. *Marc:* καὶ ἔαν τις ὑμῖν εἴπῃ
 τιπιᾶτε τῷ: sic & quædam Exemplaria in *Matthæo* legisse
 notat *Beza*: *Luc:* καὶ ἔαν τις ὑμῶς ἐρωτᾷ, *Δις* τι λέγει *Vulgata* vo-
 culam, τῷ in *Marco* expungit.

ἐρεῖτε dicite, *Tigur:* dicetis: *Marc.* εἴπωτι, *Luc.* ἔτως ἐρεῖ-
 τε αὐτῶν.

ὅτι οὐκ ἐμεῖς αὐτῶν χεῖραν ἔχει: *Marc:* & *Lucas* pro αὐτῶν
 αὐτῶν legunt. *Syr:* pro Domino nostro petuntur.

ἐν ἡμέρᾳ δεῦτε ἀποσελεῖ αὐτοὺς: *Beza* statim a. remittet eos. *Pi-*
scat: so wird er sie als bald hieher schicken. *Luth.* so bald wird er
 sie euch lassen. *Trem:* & confestim dimittet eos huc: *Vulg:* &
 confestim mittet eos. *Arias Montan:* statim enim mittet eos.
Tigur: & confestim dimittet eos. *Marc:* καὶ ἐν ἡμέρᾳ δεῦτε ἀπο-
 σελεῖ αὐτοὺς: *Lucas* hæc verba planè omittit. *Erasmus* ut & *Chrysost:*
in Expos: secunda: Münst. Tom: 3. p. 529. *Theophylact:* item pro
 ἀποσελεῖ legit ἀπεσέλει: sensum verborum planè in venen-
 tes. Referunt n. ea non ad Christi instructionem, quâ doce-
 bantur Discipuli, quid responsi Domino. Afina de facto dis-
 cipulorum quæsituro, dandum sit; sed ad mandatum, quo
 iussi



jussi, cito iter suscipere: h. s. & confestim emittit eos, scilicet discipulos: Verum evidentia textus apud *Marcum* planè contrarium docet, nam: 1. manifestè legit *ἀποπέλει*: Secundò *ἀπὸ τὸν*: ut clarum sit, ad pullum referri Relativum; 3. *ἔδε*: huc; quæ sanè nil ad opinionem *Erasmi*: adde quod Syrus sequatur quoq; in genuino & vero sensu *Marcum*: nempe Christum his verbis docere, quam rationem interrogati, Cur inscio Domino & possessore Asinam solvant? discipuli reddere debeant, nimirum adnunciare mandatum Domini. Alii hoc sensu verba *Marci* interpretantur, quod Dominus iis voluerit indicatum Domino Asini, nempe se mox Asellum remissurum: confestim mittet, h. e. remittet asinum. Sed prior magis placet, licet hanc probent & *Tigurini* & *Aretius in Matthæum*.

Vers. IV. *τὰ πρὸ δὲ ὄλον*: Integri hi duo versiculi quibus *Matthæus* vaticinium Propheticum ex *Zach: 9.* petitum explicat a *Luca* & *Marco* omittuntur. *Tremell.* Hoc totum autem quod factum fuit. *Beza:* Hoc autem totum factum est. *Vulg:* Hoc autem factum est.

ἵνα πληρωθῆ ἡ ῥηθὲν διὰ τῆ προφήτης: ut impleretur, quod dictum est per Prophetam: *ad lit.* ut impleretur dictum Prophetæ. *Syr.* ut adimpleretur, quod datum fuerat per manum Prophetæ; h. e. ministerio Prophetæ.

Vers. V. *εἶπεν τῆ θυγατρὶ*: legit hæc paulo aliter *Iohannes* quam *Matthæus*, & *uterg*, quam ipse *Propheta Zacharias*: unde hæc desumpta sunt. Verba *Textus* apud *Prophe- tam* sic habent: *Exulta valde Filia Sion, jubila Filia Ierusalem; Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Salvator ipse, pauper, & veltus Asino, pulloq; Asinarum*: Cujus vaticinii recitationem aliis verbis innotuunt, ut dixi, Evangelistæ, dum *quadam* omittunt, *quadam* transponunt, *quadam* aliter enunciant: quod non idè factum, quasi studio Prophetam corrigere, multò minus depravare voluerint, sed ut id tantum



tantum quod *Propheta prolixè prædixit*, in Christo comple-
 tum esse *breviter ostenderent*; unde etiam magis ad *Vaticini-*
um veritatem quam verborum *quantitatem respexerunt*. At-
 que hoc novum non est in *Scripturis Novi Testamenti*, ubi
 in *allegatione & citatione dictorum V. Test.* talis *transpo-*
fitio, & quo verba mutatio sæpiùs occurrit, manente ta-
 men *sensu semper eodem*: Quare cum & hoc loco *Matthæus*
 non tam ad *singula verba Prophetæ respexerit*, quin poti-
 us *rem ipsam ut demonstraret, eius veritatem ostenderet*,
 piosq; ab his veluti rivis ad ipsos fontes *V. Testamenti ad-*
duceret, intentus fuerit, planè *excusatus haberi debet*; Et
 ut *planum fiat nullam injuriam Vaticinium Propheticum pas-*
sum, ipsam mutationem videbimus. 1. *Propheticum Vaticini-*
um Exordium hoc est: Exulta valdè Filia Sion: hoc omisit
Matthæus: quia potissimum ad *consolationem prisce Eccle-*
sie spectabat, non ad *præsens institutum Matthæi. Iohannes:*
Noli timere Filia Sion: 2. Pro eo, quod *Propheta dicit: Clan-*
ge Filia Ierusalem, legit *Matth: Dicite Filia Sion*. *Sensu planè*
codem; nam qui *Sermone clangunt*, aliis sua *sensa indi-*
cant: *Sionem E. Sioni dicere jubet Matthæus*, id est, *sibi in-*
vicem prædicare; 3. *Omittit Epitheta*, quibus *insignitur*
Messias; nempe *Iustus & Salvator*: quæ ipse non *negat*, quia
 ad *Personam non respicit*, sed *Signa tantum huic adventui*
necessaria, explicare studet. 4. Pro *ἄνθρωπος pauper* usurpat *Mat-*
thæus voculum *πραῦς*: *lenis, mitis, mansuetus*. Eodem planè
sensu, cum hic *verè sit mansuetus, qui paupertatem & cum*
ea varias afflictiones patienti animo tolerat. Unde *Arius*
Montan: in sua vers. super verba Prophetæ retinet voculam
mitis. Idem faciunt Tigurini.

Σιών: Heb. *ציון* a *ficcitate nomen habens ex ציון* *ficcit-*
as Esa: 25. v. 5. cap. 41. v. 18. cap. 23. v. 2. Nun finale *Heemanti-*
sum est.

ἡ πάλον: Et *pullum factum Beza. Vulg: Pullum filium:*

Sic



Sic & Tremellius Luth: auff einem Füllen; apud Johannem legitur ὄναρον Dimi: ab ὄνῳ. Eslein male Eselin reddidit Vulg: υποζυγίς: subjugis Vulg: subjugalis vobabulo barbaro: Luth. der Lastbaren Eselin; Piscat: des Thiers so am Joch zeucht: das Dechstein vnd das ander Thier.

Verf. VI. παρευθέντες δὲ: Marcus & Lucas interferunt, totam rem sic evenisse discipulis, prout prædixerat eis Iesus. Matthæus verò brevitati studens, prædictionis Domini-cæ tantum meminit. pro παρευθέντες legit Marcus ἀπῆλθον. Lucas ἀπελθόντες οἰκισθησῶν: Nomen omittit Marcus, Lucas οὐ ἀπεσελμένοι.

Verf. VII. ἤραρον τὸν ὄνον: Matth: utriusq; nempe Asina & Pulli facit mentionem; Lucas verò tantum Pulli ut & Marcus: de quorum conciliatione vide in dubiis.

τὰ ἱμάτια: Vestes, id est, exteriores; pallia, tunicas &c. ἐπεκάθισεν sedere fecerunt: Mar: ἐκάθισεν fedit, Luc: ἐπεβίβασαν: scil. IESum.

ἐπάνω αὐτῶν Frobenius pro αὐτῶν, αὐτῆς legit, referens Fœminini Generis Rel: ad Asinam sed malè, ut paulò post in dubiis ostendetur: Beza duplicem lectionem probat; ut si legatur cum veterè interprete αὐτῶν, Relativum referendum fit ad IESum; super collocarunt eum; i. e. IESum; & sic legit Syrus; vel etiam ad asinum; Collocarunt IESum super eum, id est; asinum. Si verò αὐτῶν legatur; Relativum referendum ad vestimenta: hoc sensu collocarunt Christum super ea, id est, vestimenta.

Verf. VIII. ἐκ τῶν δένδρων: Beza notat, quædam Exemplaria legisse: ἐκ τῶν ἀγρῶν.

Verf. IX. οἱ δὲ ὄχλοι: Lucas hæc copiosius: ἐγγίζοντας δὲ αὐτῷ ἤδη πρὸς τὴν καταβάσιν τῶν ὄρεων τῶν ἐλαιῶν ἤρξαντο ἅπαν τὰ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν θεὸν φωνῇ μεγάλῃ πρὸς πάντων, ὧν εἶδον, δυνάμεων: Pro οἱ ὄχλοι Lucas habet ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν: quæ verba non exclusivè accipienda quasi tantum

B

disci-



discipuli Dominum alta voce laudârint; Sed potius *inclassi-*
vè de tota multitudine: In *Luca Vulg.* legit, pro discipulo-
rum, discipulorum: vitiosæ lectionis errore.

ὁι προάγων; Præcedentes *Vulg.* qui præcedebant *Trem.*
qui ibant ante eum;

ἐκείνοι; Clamabant: *Luc.* laudabant DEUM super om-
nia quæ viderant.

ὡσαννὰ: Vei ut alii ὡσαννὰ vel ὡς ἄννα: vocem esse corruptam
facilè hinc constat, si locum, unde petita hæc sunt, intuear-
is; nempe Pf. 118, ubi *dua* leguntur voces, hîc corruptè in
unâ contractæ; הושיע נא *Salva quæso*: נא *quæso* Adverbium est
factum ex הושיע per *Apharesin* הושיע *salva aspiratè*; alias הושיע
more *Hebrais* usitato, quod litteræ eiusdem instrumenti fa-
cilè permutentur: Est verò *Imperati*: 3. *Conjug.* *Hiphil.* cum
ה *Paragogico*. Coniunctæ E. voces hæc sonant הושיע נא. Cum
verò *Imperativus* ejusdem supradictæ Coniugationis habeat
הושיע, cui adjunctum נא, fit, ut legatur & *Hoschianna* & *Ho-*
schanna: Usus hujus vocis fuisse Iudæis familiarissimum
certum est, præsertim tempore festi Tabernaculorum, quò
ramos gestantes manibus ex mandato DEI *Lev. 23. v. 40.*
(quod festum à festo Bacchanaliorum Ethnicorum originem
duxisse, impiè nugatur *Plutar: lib. 4. συμμοσι; cap. 5. Tom. 2. O-*
pe p. m. 671.) *Hosianna* incantabant, idè tam sæpè, quoties
verbum eructabant; Nam recensebatur ingens acervus
nominum DEI, & ad singula succinebatur; *Hosianna*. In
hunc modum; *propter te DEVM Deorum, Hosianna, Propter*
te Dominum Dominorum: Hosianna. Secundo: recenseban-
tur varia DEI attributa: ut; *Propter veritatem tuam: Osi-*
anna: Propter justiciam tuam; Osianna, &c. Sic quoque in gra-
tiarum actionibus, precationibus semper adclamabatur *Ho-*
sianna Et ideo *Evangelista* lætum huius turbæ adfectum non
per *Græcorum* ἰὸ Παν. sed ipsam *Hebraicam* vocem tum ip[s]is
familiarissimam & notissimam exprimere voluit.

Hæc



Hæc etsi certa sunt in quibus omnes conveniunt, tamen de sensu vocis non item eadem est Interpretum opinio. Quidam enim *Hosianna* voculam laudis & glorificationis esse volunt, qua Judæi ramos gestantes DEUM laudarent, glorificarent; atq; hoc etiam sensu adclamans turba Christo JESU vero Messia & unigenito DEI filio usitato more cum ramis palmarum laudem obtulerit, & cultu soli DEO debito honorarit. Hæc *Caninius* notat ex *Rabbinorum* traditionibus, suamq; firmat opinionem, *Dativo* huic acclamationi annexo: τὸ ὑψὲ: h.e. laus sit filio David; qui impertinenter esset adpositus, si *Hosianna* idem esset quod, *serva quæso*; nullus enim foret sensus: *Serva quæso filio David*; rectius verò loco *Dativi* substitueretur *Vocativus* ἢε Δαβὶδ: Fili David. Sermonè directo ad Christum; vel *Accusativus* τὸν ὑψὲ Δαβὶδ: Filium David; Sermonè directo ad DEUM; *Serva quæso Filium David*. Vide *Munsterum in Matth. p. m. 303.*

Alii *Hosianna* *Votum* & *petitionem* esse statuunt sequenti fontes מְשַׁלְּחֵנִי *Serva quæso*: seu *opitulare quæso huic filio David*: i.e. *Serva, secunda fausta & felicia quæq; concede*; Hæc est *August. Tract. 51. in Iohan. p. m. 132. Tom: Op. 6.* Sententiã, hanc approbat *Beza*, i. quod Judæi Christum non agnoverint pro DEI filio, sed magno tantum Propheta; 2. quod hæc ipsa verba, precationis formã, in fontibus *Psal: 118. v. 23.* seq: habeantur, quibus Messia futuro à DEO salutiferus adventus petebatur; 3. quod simili constructione vox מְשַׁלְּחֵנִי absolute posita tum *Psal. 118.* tum aliis in locis, præsertim *Psal. 86. v. 16.* sumatur pro *opitulari* seu *salutem adferre* εὐωσωνδῆ Vide *Drus lib. 1. Præter. p. m. 44.*

Εὐλογημένον. *Benedictus*: *Præteritum* positum est pro *Futuro*, usitato *Hebraismo*; ut *benedictus* idem sit hoc loco, quod *benedicendus*, seu *laudandus*, *celebrandus*, *glorificandus*. Vnde *Luth: Getobet sey der da kömpt.*



ὁ ἐρχόμενος: veniens. *Vulg.* qui venit. Posito *Præsenti* pro futuro; sed jam jam instanti ut *Beza* notat: Addit *Marcus*: *Benedictum regnum Patris nostri Davidis*, hinc Relativum ὁ quod *Matthæus* ad Christum, per *Participium* ad regnum refert.

ἐν ὀνόματι κυρίου: hoc *Theophyl.* in *Luca* cap. 29. p. m. 193. exponit: ut *DEUS*.

ἐν τοῖς ὑψίστοις in altissimis. ἐκείνης huius ἐξήγησις *Beza* facit duplicem: *Prima* est ex mente *Caninii* sic suppletis sensum: *Hosianna* id est, *laus salus & gloria*; In altissimis: h. e. *DEO* optimo maximo in altissimis habitanti; ut ita pari gloria, quâ *DEUM* in altissimis jam veneratur populus, Christum quoque ceu verum Messiam, æqualem cum Patre *DEUM* prosequatur & honoret. 2. Est ipsius *Beza* petitoriè *Hosianna* exponentis atque sic suppletis: *opitulare quæso, qui es in cælis altissimis!* vide *Psal.* 148. v. 6. laudate Dominum in cælis v. 7. laudate Dominum in terris. *Lucas* pro *Hosianna* in *Excelsis*, legit, *pax in cælis*, respiciens potius ad *Acclamantium Adfectum*, quam *singula verba eorumque apices*.

SECTIO III.

Proponens dubia Controversa.

Quorum quatuor priora sunt Proœmialia.

I. An Christianis licitum, Annum Ecclesiasticum ante annum civilem inchoare?

Resp. Affirm. I. Ob concessam libertatem in quâ standum; Nam libertate concessa quilibet rectè utitur; Atqui Christianis libertas est concessa. E. Unde *Apostolus Coloss.* 2. v. 16. *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia aut Sabbathorum.* Gal. 5. v. 1. *Qua libertate vos Christus liberavit in ea state, & nolite iterum iugo servitutis teneri,*

2. A



2. *A Mosis Exemplo*: Is enim mandato divino instructus alio tempore annum civilem, alio Ecclesiasticum Judæos inchoare docet; *Civilis enim anni*, de quo *cap. 25. Lev. v. 8. 9.* initium facit *dies primus mensis septimi*, qui erat *Tisri* respondens partim nostro *Septembri*, partim *Octobri*, quo tempore Hebræi mundum esse creatum opinati sunt; *Ecclesiastici vero*, mensis *Nisan* respondens partim *Aprili*, partim *Maii* ut constat ex *Exod: cap. 12. v. 2.* Si ergo Moysi sub lege illud fuit liberum utiq; etiam Christianis à jugo legis liberatis, 3. *ab Exemplo Apostolorum.* Apostolis licitum fuit transferre diem Sabbathi in Dominicam ob Ecclesiæ commoditatem. E. quoque ob eiusdem Ecclesiæ commoditatem licitum est annum Ecclesiasticum transferre, & ante civilem inchoare.

2. *Cur ab ADVENTU Domini Annus Ecclesiasticus incipiat?*

Resp: *Causa principales duæ sunt.* 1. *Quia Adventus Domini* est fundamentum totius Christianismi; 2. *quia prima concio Veteris Testamenti in adventu Domini fundatur*; *Gen: 3. v. 15.* Si E. initium Ecclesiæ Veteris Testamenti ab *Adventu Domini nostri Jesu Christi* factum; multo magis etiam *Novi.*

3. *An rectè diebus Dominicis certi Textus in Ecclesia proponantur?*

Resp: *Aff:* ob sequentes rationes: 1. *Apostolus* requirit, ut omnia juxta *μαξίμῃ καὶ ἐυαγγελιστικῶς* *1. Cor. 14. v. 40.* in Ecclesia DEI fiant; jam verò hæc faciliè turbaretur, si pro suo quilibet Ecclesiæ minister arbitrio textus explicandos eligeret; 2. *Quia* confunderentur Auditores, præsertim simpliciores, quorum ut in Ecclesia maxima pars, sic merito eorum quoq; maxima habetur cura; Si enim vix tantum discunt multi ex sæpiùs iteratis textibus, quantum ad æternam



salutem consequendam necessarium est; quid fieret, si semper novis confunderentur? Satius ergo est, non tantum *τὸ αὐτὸν* sed & *τὸ ἐν τῷ αὐτῷ* proponere quam *τὸ κενὸν κενῶς* dicere & sic simpliciores turbare; quare Apost: *Phil: 3. v. 1. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* 2. *Pet: 1. v. 12. Quapropter non negligam vos semper commoneo, tametsi periti & confirmati sitis in presenti veritate.* 3. Quia impossibile est, ut totius libri Biblici tractatio copiosè concionibus possit absolvi. Sive enim Pastorem sive Auditorem spectes, nullius ætas ad tanti laboris absolutio- nem sese extendit; Si enim multis diligentissimis Jesu Christi servis vix tres libros Biblicos hoc modo absolvere contigit, quid fiet de toto & omnium librorum systemate & corpore? Licet verò totum Religionis negotium, & illud continens & explanans sacra Scriptura Auditoribus sit exponenda; tamen potest illud fieri. 1. *Per partes.* 2. *Succinctas explanationes:* & tales non abhorrent à traditione Apostolica ut vel unicum Symbolum Apostolorum testatur.

4. An usitati Textus Evangelici & Apostolici in Ecclesia retinendi?

Resp: *Affirm: 1. Quia* in iis summa continetur totius Christianæ Religionis, cuilibet ad salutem sufficiens: Si- quidem nullus dari potest fidei Articulus qui non ex iis plene erui, & perspicue explicari possit. 2. *Quia* nullum evidens mandatum vel prægnans ratio nos cogit, ut ab hoc more antiquo & in Ecclesia Christiana usitato recedamus, distributionemq; pericoparum consuetam immutemus. *Vide Art: 15. Aug. Conf.* 3. *Necitur* hæc consuetudo approbatione calculo & suffragio Orthodoxorum Patrum. Nam et si aliqui *Alcuinam* quendam Dispositorem horum textuum fingant; alii *Paulum Castrinensem Monachum Alcuino* præferant; tamen ex *Hieronymi* testimonio in *Apol: contra Vigil:* constat,



constat, in Ecclesia Græca ante Hieronymi tempora textus hosce prælegi solitos fuisse. Unde idem testatur quod ipse ex Græca Ecclesia Latinæ eosdem introduxerit, hortatore Episcopo Romano Damaso, & approbatore Anastasio Damasi successore; Unde etiam hic mos in Ecclesia Christiana adhuc viget, quem ab Augustino, Gregorio Magno, Nazianzeno, Theophylacto, Beda, Basilio Chrysofomo alijs Græcis & Latinis Patribus in nos derivatum accepimus.

Verum dicam hic scribunt Ecclesiis nostris Calviniani Reformatores & Deformatores, quorum Antesignanus Iohannes Calvinus in secunda Defensione contra VVestph. p. m. 912. magno ausu nefarioq; zelo in pium & utile hoc institutum invehitur; prætendens; 1. hoc modo Pastorum negligentiam & sordidiam augeri. 2. Consuetudinem hanc ortum initiumq; suam ex Papatu ducere; 3. Non eosdem textus, quos Hieronymus habet, esse. 4. Ceteros textus Biblicos non minus scitu ad salutem æternam consequendam necessarios negligi. Et quæ sunt alia ibi Calvinii Portenta;

Sed facile diluuntur: Nam 1. quis nostrum est, qui probet ministrorum sordidiam? Sanè totis mentibus eam detestamur, scientes quod servi sint, constituti super familiam Domini *Matth. 24. v. 46.* exactissimè reddituri de ea rationem. Inde vero ipsis ansam negligentie dari, quod sæpius idem ipsis textus explicandus & enucleandus obcurrat, tantum abest, ut potius indefessi laboris & diligentie ansam ipsis præberi non sine ratione affirmeretur; Nam si ullibi valet tritum illud: *Lectio lecta placet decies repetita placebit.* Certè hoc loco verissimum est; cum tantæ sit Sacræ Scripturæ profunditas & sublimitas ut adfirmare auisim, si quis ab Exordio ad Mundi usq; finem, omnibus diebus, singulis horis & momentis intentissime meditetur, vel unicum Aphorismum Apostolicum: *Deus manifestatus in carne; 1. Tim. 3. v. 15.* tamen ad perfectum eius intelle-

ctura



Atum in hac vita non perventurum. Si unius E. dicti sum-
ma sublimitas per tot secula non potest plenè investigari,
quid fiet de tam multis non minora arcana comprehen-
dentibus textibus? *Secundi nugamenti* vanitas diluta est
superius: & concesso ex Papatu hunc morem ad nos de-
venisse, inde tamen non sequitur, cum simpliciter esse re-
rejiciendum? Sanè non semper à quo aliquid oritur,
quidq; ille auctoritatis habeat, sed quid utilitatis & com-
modi, spectandum; ane propterea artem Typographicam
aversamur, quia sub Papatu inventa? ane Philosophiam
rejicimus, quia ab Ethnicis ad nos derivata est? ane Un-
garicos, nummosq; aureos Hispanicos suis marfupiiis ejici-
unt suisq; ditionibus importari prohibent Calviniani,
quod ortum ex Hispania trahant? *O cecos duces, excolantes
calicem, Camelum autem deglutientes, Matth: 23. v. 24.* Tertium
nihil valet; Nam etsi fateamur aliquos textus apud *Hie-
ronymum* reperiri, qui non inveniantur jam in ordine usi-
tato; attamen pauci sunt, gravi consilio ab Ecclesia prisca
mutati; plurimis tamen sic relictis, prout ab *Hieronymo*
constituuntur; à *potiori ergo sit denominatio.* 4. Planè *falsum*
est. Non enim sequitur: diebus dominicis certi textus
explicantur; E. reliqua scripta planè negliguntur, quia
etsi non explicantur diebus Dominicis nihilominus tamen
cæteris; Habentur enim conciones Catecheticae, Præpara-
toriae, &c. & quo fine instituuntur quotidianae conciones,
quam ut vel certi libri sacri novi vel veteris Testamenti;
vel ex iis primariae partes pro conditione loci, temporis,
Auditorum, resolvantur explicantur, & ad ædificationem
proponantur? 2. distingvendum est inter *textus lectionem*
& *plenam tractationem*; si textus tantum nude legeretur,
nullaq; plenior declaratio & expositio ex reliquis Scriptu-
ris fidei analogae subjiceretur, utique talis Scripturarum
neglectus & contemptus esset culpandus, Sed quid mirum,
quod,

quod, qui ipsos dies festos ægrè ferunt, & cum fulminante
Pæro, *Ferias sanctis dicatas suo genere impias, & in Ecclesia
Christiana abolendas clamitant*, ipsos quoq; textus ferlis de-
stinatos illudant & vili pendant.

Ad Vers. II.

1. *An Christus suo mandato de Asina peregrina
adducenda, tollat proprietatem rerum, institu-
at autem & probet communionem bonorum?*

Resp: Communionem bonorum & facultatum Ana-
baptistarum secta, non tota, sed ea pars, quæ Hutterianorum
nomine olim in Moravia venit, hausto errore ex *Thoma
Münstero* rebelli & homine perversissimo sub pietatis &
Christianæ charitatis prætextu exegit; *sed falsissimè*; 1.
quia Mandatum septimo præcepto, de non committendo
furto, secundâ tabulâ Decalogi expressum talem proprie-
tatem rerum non tollit; Cui enim, ut alteri aliquid aufe-
rat, non permittitur eidem, ut, quod alter possidet, re-
linquatur, mandatur. Mandatum verò DEI quâ tale, fem-
per cum ipsius approbatione conjunctum est. Deinde, septi-
mi *Præcepti* mandatum, est *morale*. Si E. mandatum illud
septimi præcepti, quod omnes obstringit, rerum proprie-
tatem non tollit. E. eandem stabilit & confirmat. 2. *Quia*
proprietas facultatum præcipua pars est benedictionis di-
vinæ; omnis autem benedictio divina bona est, si ergo bo-
na, utiq; non fugienda, quod sit, si id, quod DEUS mihi lar-
gitur, recipere, & sic ingratus agnoscere nolim; 3. *Quia*
facultatum rectus conceditur usus; Ergo non prohibetur
possessio earum, & sic quoque non mandatur & exigitur
communio; *Antecedens* ex *Apost. 1. Tim: 6. v. 17.* patet. E. Ve-
rum firmumq; *Consequens*. 4. *Quia* nullum est mandatum in
Sacris, quo talis facultatum communio nobis inungatur;

mal

C

Præfens



Præfens Christi exemplum, quo Asinum Asinamq; peregrinam sibi adduci curavit, nil fanaticis huic subsidit præbet. *nam* 1. ita asinum non cupit, ut tam ad se quam ad proprium possessorem pertineat; sed tantum ut eo ad exiguum tempus utatur; 2. Si Christus hoc suo facto bonorum & facultatum communionem probasset, non tantum Asinum & Asinam adduci sibi curasset, sed insuper clitellas & cætera requisita postulasset; 3. Si ex hac Christi actione, Vitæ debet extrui Regula. Ea erunt communia, quæ Christus hoc loco communia habuit; E. usum Asinarum & Asinorum inter Anabaptistas communem, nobis nostris à DEO concessis facultatibus relictis, facile concedimus.

2. *An Magistratus superior bona inferiorum Dominorum illis invito rapere, Et in suum usum bono titulo convertere possit?*

Resp: 1. Præceptum septimum de non faciendo furto est morale, obligans omnes homines. E. & Magistratum; Quicumq; E. cujus vis sit conditionis, alterius bona vi ad se rapit, furtum committit. 2. Omnis violentia damnatur à summo Legislatore DEO nostro ter. Opt. Max: præsertim vero ea, qua alterius bona rapiuntur, capiuntur 1. *Reg. 21. 2. Sam. 12.* 3. Magistratus officium est, ut custodiat utraq; tabulas legis, *in bonum ei, qui benefecerit, in malum autem, qui malefecerit, Rom. 13. v. 4.*

Exemplum itaq; Christi talem rapinam non excusat; *nam* 1. non mandat discipulis, ut violenter eripiant & invito domino Asinum abducant; sed causam necessitatis exponant, & sic Domino & possessore consentiente solvant & adducant. 2. Probabile est, Asini possessorem domino probè notum fuisse, alias non tam promptus existisset. Adde hoc 3. à potentia Creatoris absoluta ad potentiam

tiam creaturarum legibus divinis & humanis limitatam,
consequentiam nullam esse.

3. *An infinita attributa majestatica realiter car-
ni Christi sint communicata?*

Georgius Sohnius Tom: 2. Operum: in Art: 3. A. C. qui est de
Persona & officio Christi p. m. 429. Actiones, idiomata & pro-
prietates non Natura, sed Persona communicatas esse, fraudu-
lenter concedit: Verum: 1. confunduntur Actio & idioma
seu proprietates. 2. quis unquam audivit actionem, quâ talem,
prout est Personæ seu suppositi communicari? communi-
catur quidem Idioma ad actionem aliquam concurrens;
Actionem verò communicari, ineptè dicitur. 3. Porro quid
est, Actio communicatur Personæ? V. g. Actionem, qua filius
DEI scrutatur corda & renes abditissimaq; novit, possum nē
dicere, communicari Personæ filii DEI? absolum; Actio
quidem est Personæ, & aliquid ad actionem illam concur-
rens communicatur Personæ secundum quid, nempe à λό-
γῳ carni omniscientia, ut tota Persona in utraq; Naturâ,
licet diverso modo, λόγῳ nempe *Essentialiter*, Humana ve-
ro Christi Natura *Personaliter*, operetur. 4. Actio est totius
suppositi; h. e. est totius Personæ in duabus naturis; si jam
actio, prout est actio duarum naturarum, communicaretur
carni, sequeretur id carni communicari, quod jam est car-
nis; nempe Actionem totius Personæ, communicari carni;
absolum. 5. Si Personæ, quâ Persona est, & quidem ipsius
Filii DEI aliquid communicatur, sequitur quod communi-
catum non habeat. Actio omniscia, qua omnium corda scru-
tatur communicatur Personæ. E. Videat Sohnius quam pro-
cul absit à *Photinianismo*. Colophonis loco nota fraudem *Soh-
nii* p. m. 411. his verbis detectam. Sic tribuit Scriptura utriq;
naturæ *δοτὸν αὐτῶν*, ut in ijs esse cujusq; naturæ propriam
distinctamq; actionem velit, licet naturæ *minime* commu-



nicatur, distinctarum E. naturarum distinctæ sunt actiones, inquit *Sohnius*, quæ minimè communicant; & tamen actiones secundum eundem communicantur Personæ; dijudicet hinc *Lector* candorem *Sohnii*. *Pareus* in *Ireni*: cap. 26. p. m. 265, captiose scribit: *Non Homini, sed Humanitati in abstracto per transfusionem idiomatica divina communicata negamus*; Verum: 1. Certo sciat *Pareus* optimè nos inter *Concretum & Abstractum*, tam *Natura* quam *Persona* distinguere posse; sed hoc quæro; An *Pareus* inter *Hominem & Humanitatem* Christi, tanquam inter *Concretum & Abstractum* *Natura* reale faciat discrimen, & secundum ἄλλο ἢ ἄλλο differre statuatur, ita ut aliquid communicetur *Homini*, cujus tamen *Humanitas* non fiat particeps? Videat *Pareus* quomodo se extricet; Si enim affirmat, hoc absurdum non effugiet, nempe *Humanitatem* ab *Homine* Christo *realiter* differre; Si negat, quid est quod verbis fucum faciat, & non *Humanitati* sed *Homini* Christo idiomatica divina esse communicata, asserat? quod enim possidet *Homo*, illud quoque *Humanitas*. 2. quia verò *Pareus* communicationem idiomaticum divinarum concedit, sic arguo; Aut illa facta est à λόγῳ carni aut ab alio ἴῳ λόγῳ. Posterius absurdū. E. prius verum. 3. Cur *Pareus* crimine falsi se onerat, & nostris Ecclesiis affingit, ac si statuatur per *transfusionem* Idiomatica divina carni Christi esse communicata? quis scripsit? quis docuit? *Anne Pareo* eadem sunt; Communicatio fit *Personaliter*; Et communicatio fit per *transfusionem*?

Cæteri hujus sectæ homines Christo eximia quidem donâ per unionem collata esse concedunt; At Increata & divina Idiomatica carni esse communicata, negant. Vide *Bezam* in *Colloq. Mompelg.* p. m. 203. *Keckerm.* lib. 3. *System: Theol.* cap. 2. p. m. 321. *Vrsin.* in *Explic. Catech. Tom: 1. Oper.* p. m. 196. *Berolin.* in *Apol. Conf. Germ. cont. D. Hœ & Hutt.* p. m. 14.

Ego ex præsentis Textu, sic arguo; Quicumq; quâ homo,

mo,

mo futura & absentia exactissimè novit ; Cogitationes aliorum scit ; Corda ad suum nutum flectit ; is est etiam qua homo omniscius & omnipotens ; Atqui singula ex presenti textu de Christo vera. E. Vide *Disput: meam de communicata omniscientia in Christol: Meisneri numero 19.*

Ad Vers: IV.

An sacra Scriptura sit littera mortua ?

Resp: Sic blasphematur *Schwenckfeldius*, quem ex hoc Vaticinio Prophetæ redarguimus ; Nam medium, quo Sion debebat ad spiritualem læticiam excitari, nullum fuit aliud, quam Verbum Prophetæ : *dicite filia Sion* ; Sic Christus : *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite* ; Prout E, verbum Prophetæ non aliter quam per Scripturas loquebatur, & tamen fuit efficax medium quo ad spiritualem impellebatur læticiam Sion ; Prout etiam Christi Verbum quod per Apostolos deferebatur, ad possessorem asine, Efficax itidem medium fuit, quo cor ipsius regebatur & ad consentiendum inclinabatur. Sic quoq; verbum scriptum & prædicatum non est *littera mortua sonusve evanescens*, sed *efficacissimum nostra conversionis medium* ; Qui enim Apostolos audit, Christum audit ; quos aliter hodie quam in & per Scripturas audire non possumus.

Ad Vers: V.

1. Quid intelligatur per FILIAM SIONIS ?

Triples circa hoc dubium occurrit *sententia*. 1. *Eorum est*, qui Jerusalem Filiam Sionis appellatam volunt, eo, quod Sioni Monti, ceu loco digniori, ob Arcem Davidis quam continebat subjecta fuerit, cum hoc sensu etiam aliàs pagi & oppidula *Filia* appellentur Civitatis, cui subjecta. Unde etiam Græci primariam alicuius Provinciæ civitatem *Μητρόπολιν metaphorice*, quod aliæ ex hac tanquam matre



provenient, adpellent; huc refer verba *Lyra* in hunc locum: *Cum fortalitiu[m] civitatis illius in monte Sion esset, progredere[re]t[ur]q[ue] Civitas ab ea parte, sicut filia à matre, Filia Sion dicta est; Hanc sententiam sequitur Beza super hunc locum; & Flacius in Clav. ad Vocul. Filium part: 1. p. m. 232.*

Verum eandem refellit *Drusius* rejicitq[ue] tanquam falsam *lib. 1. Quest: quest. 6. p. m. 6. 7.* hoc fundamento; quod pars Civitatis alicujus eiusdem filia vocari non possit. Jam verò Arx David Sionis erat pars una; altera ipsa civitas Jerusalem, quæ duæ partes constituere unum totum nempe Sion; Pars E. Jerusalem Sionis cum sit, filia dici non potest.

Licet itaq[ue] minora oppidula respectu *Metropolis* quandoq[ue] Filia dicantur; attamen istius *Metropolis* Pars, filia eiusdem appellari non potest. *Drusii* mentem hoc Exemplo declarabo: *Colonia ad Suedum* seu *Spraam* & *Berolinum* constituunt unum totum, si quis jam Filiam *Colonia*, *Berolinum* appellare velit, eo, quod *Colonia*, ubi Arx Electoralis, subjecta est, errorem committeret. Idem iudicium esto hoc loco.

Secunda sententia Synecdochen esse contendit, quâ Sion tanquam pars sumatur pro toto, nempe reliqua etiam montis Sionis parte; *Filia Sionis*, id est, *Jerusalem*.

Tertia quæ verissima est, per Filiam Sionis intelligit Cives seu inhabitatores totius Jerusalem; cum eadem sit ratio civium ad civitatem, quæ est filiarum ad matrem; Et hæc loquendi formula Scripturis est usitatissima; sic dicitur *Filia Babel*; *Filia Tyri* &c. hanc *Drusius* probat, & cum eo *Vrsinus* in cap. 1. *Esa: Tom: 3. Oper. p. m. 120.*

2. An Christus spirituali suo Regno sustulerit mundanum?

Et si Christus Iesus Rex noster sit, quemadmodum hoc



presse indicat Propheta; *Ecce Rex tuus*; Et Christus ipse te-
 statur coram Pilato: *Ego sum Rex*, *Ioh: 18. v. 37.* Tamen eius
 Regnum non esse de hoc mundo, indicat simul ibidem *v. 36*
 & alibi, declaratq; id facto, presenti ingressu: hinc cavil-
 landi occasionem arripiunt *Anabaptista*, concludentes, spi-
 rituali suo Regno Christum mundanum sustulisse; *Sed fal-*
luntur & fallunt. Subordinata namq; se non tollunt; potest
 enim aliquis esse Rex mundanus, & tamen spiritualis Re-
 gni Christi minister fidelis *Esa 49. v. 23. Psal: 72. v. 10.* 2. Di-
 stinguendum inter Regnum Christi quod spirituale esse de-
 buit, quia Spiritu perficiendum erat, vitamq; spiritualem
 concernebat; Et mundanum, quod regitur gladio *Rom: 13.*
 ut Iustitia, Civilitas & Pax in hac vita conservetur, 3. Hoc
 suo facto Christus non voluit aliud Regnum instituire, sed
 tantum quale suum esset, declarare.

3. *An Christus etiam insederit Asina?*

Resp: *Theophyl: Rabanus* & pleriq; *Commentatores* Chri-
 stum & Asinæ & pullo, successivè tamen insedisse, his moti
 rationibus, statuunt. 1. quia Propheta expresse distinguit in-
 ter asinum & asinam, quem exactè sequitur Evangelista, docens,
Vaticinium Propheta esse completum. 2. quia Christus non tan-
 tum pullum, sed & asinam adduci curavit; 3. quia *Matthaus*
 testatur plurali numero, quod Christus insederit eis, non eo. 4.
 quia Evangelista sibi contrariè non sunt opponendi; licet enim
Reliqui Asina non faciant mentionem, tamen id expressisse Mat-
thaeum; praesertim cum id saepe fiat apud Evangelistas, ut in cir-
 cumstantiis variant, & unus altero plenius quid exponat. Verbi
 gr. *Iohannes* ait Christum invenisse asellum; *Matthaus:* serio per
 discipulos inquisivisse. Sic *Marcus 11. cap. & Luc: 19. uni;* *Matth:*
duobus cecis visum Christum restituisse, Ita hoc loco Paulo plenius
Matthaeum Christi ingressum descripsisse, neque Marci & Luca
affirmativam per se necessario Exclusionem importare. Huc re-
fer



fer verba Chrysoſt. in Matth: In multis, inquit, inveniuntur di-
verſi ac diſſoni, imo hoc ipſum maximum eſt teſtimonium veri-
tatis, ſi enim ex toto in omnibus conſonarent, & cum nimia dili-
gentia atq; cura & ad tempora & loca omnia, uſque ad ſingula e-
qualiter verba concurrerent, nemo inimicorum credidiſſet un-
quam.

Etſi verò ipſa hæc quæſtio ita fit comparata, ut ſine ſa-
lutis diſpendio liberè circa eam aliquis errare poſſit; ta-
men in veritatis Patrocinium mea quæ ſit ſententia candi-
de exponam ſalvo nihilominus aliorum iudicio: *Statuo, E-*
Chriſtum non ſuper aſinam, ſed tantum ſuper pullum ſediſſe; atq;
id à Propheta ut & Euangelista doceri.

Quare ad ſingulas rationes partis contrariæ diſtinctè
eſt reſpondendum.

Prima pro conſeſſo ſumit, quod adhuc probandum; *nam*
ſimpliciter nego, tum Prophetam, tum Euangelitam
aſſerere Dominum utrumq; Animal conſcendiſſe. Id, ſi
demonſtravero, facilis ad cæteras rationes adductas, erit
reſponſio.

Proinde Prophetam & Euangelitam diligenter
obſervemus; Apud Prophetam tria diſtincta reperiuntur
vocabula, quæ quid ſignificent porro diligenter inquiren-
dum eſt.

1. *Chamor*: 2. *Air*: 3. *Athonot*. *Chamor* ſexus eſſe vo-
cabulum, & ſic dubium, ut Græcorum ὄνος, peritioribus
conſtat Hebræis, quorum iudicio ſubſcribo lubenter; ita ta-
men ut ſtatuum ſimul cum ipſis nullibi in *Fæminino Genere*
ſine limitatione in totis Bibliis legi; & ſic nec 2. *Sam. 19.*
v. 24. Atq; id à 70. ubiq; δροεικῶς nunquam ἡλυκῶς vocem
Chamor exponentibus *Interpretibus* accuratiſſimè obſer-
vatum fuiſſe ulterius aſſero.

De voce *Air* controverſia nulla, ſicut etiam de *Athonot*;
Unicum ergo illud manet dubium; cum Propheta voce

Cha-



Chamor utatur, eiq; copulativè *Air* adjungat, aut per *Chamor* Prophetam sexum fœmineum intelligere, aut *πενπλοζίαν* committere, sequi videtur.

Hunc esse fontem erroris fateor, quem genuit *vas* Hebraum expositum. Copulativè, cum tamen Copulativum non sit, sed Exegeticum; Quod sic ostendo. 1. Dicit Propheta Messiam sessurum super *Chamor & Air* ἢ *Athonot*; Si ergo *Chamor* significat Asinam, sequitur, Messiam sedisse super *Asinam & Air pullum*, non istius *Chamor*, sed alterius *Asina*, quæ vocatur *Athon*, quod manifestè est contra narrationem Evangelistarum; 2. Propheta asserit Messiam sessurum super *Air Athonot* in Plurali; quod certissimè *vas Exegeticum* esse, indicat. 3. Hic loquendi modus SS. Scripturæ non infrequens est; vide *Gen 49. v. 11. Psal: 69. v. 29. Conser Eph: 1. v. 3. cum 1. Cor: 1. v. 3. & 1. Pet: 1. v. 2.* Ergo cum constat, nullum hic de Asina sermonem esse, sensum Vaticinii Prophetici hunc damus: *Veniet Rex Sion, sedens super Chamor, Asinum, & Air, Asina pullum*; priori, habito respectu ad sexum; posteriori ad aetatem seu aetatis statum. Quocirca non sedebit Messias super *Athon*, sed *Chamor* qui exegetice dicitur *Air Athonot*.

Jam ad Evangelistas præsertim ad *Matthæum*, cum reliqui tres tantum *Asini* mentionem faciant. Dico E. & quæ falso pronunciarum *Matthæum* Dominum etiam *Asinæ* insedisse, asserere, quam id supra ad firmatum de *Propheta* 1. quia *Matthæus* eo sensu citavit hoc Vaticinium, quo enunciavit *Propheta*. Huic verò *Chamor* est Masculinum, E. & *Matthæo* ὁ ἔσται Masculinum, *Propheta* *vas* est Exegeticum, E. & *Matthæo* ἔσται Exegeticum; 2. *Matthæus* utitur voce ὁ ἔσται, utrumq; sexum significante; quod Masculino autem Genere accipiat hinc constat, quia *Articulum distinctivum* omittit; Unde firmiter concludimus, Substantivum Generis Dubii, sine *Articulo* positum semper præstantius Genus includere; Ideoq; ὁ ἔσται sine *Articulo* nunquam sexum fœmineum significare

D

ficare



ficare. Jam quid *adducta* valeant *rationes* facile cernitur; *Prima* enim planè falsa; *Secunda* conceditur, id Discipulos in mandato habuisse; non tamen inde sequitur, Dominum ideo ut adduceretur Asina mandasse; quo ei infideret; *ratio*; quia id fecit propter pullum. 3. *Relativum Plurale* ad Asinum asinamq; refert, sed in pertinenter, quia respicit proximè præcedens *Substantivum* *ἵππων*. 4. Tota conceditur, nec ulla Evangelistarum oppositio agnoscitur.

4. *An Asina & Asinus typicè significarint Judæos & GENTES?*

Athanas: Sermone super Verba; ABEVNTES AVTEM; Tom. 1. Op. p. m. 780. per *Asinum* homines intelligit; per *vincula* peccatum; per *Dominum* Asinæ *Satanam* & mortem; *Idem* Tom. 2. Oper. in *Interp. Parab.* p. m. 327. per *vicum* intelligit *mundum*; per *Asinam* *Judeos*; per *pullum* *Gentes*; *Mosen* ligasse; *Christum* solvisse. *Judæos* à lege, *Gentes* ab *inscitia*. Ad hanc allegoriam & alii Patrum præscorum inclinant, dum per *Asinam* *Judeos* jugo Legis oneratos; per *pullum* *Ethnicos* nullis legibus divinis subjectos præfiguratos, statuunt; Utrumq; vero Animal Domino adductum; & sic utrumq; populum; sub typo *pulli*, qui non adfuerunt, *Ethnicos*; sub typo *Asinæ*, qui quidem adfuere sed recessere nec agnovere præsepe Domini, *Judeos*. Tolerari hæc possunt, si cum grano salis dicantur, nec litteram evertant. Vide *Aug: Tract. 51. in Iob: Tom: 9. Oper: p. m. 132. & lib. 12. contra Faust: Manichæ. cap. 47. Tom: 6. Oper: p. m. 101. Ambros: in Orat: ad Auxent: & lib. 9. in Lucam.*

5. *An vaticinium Propheticum proprio & literalis sensu, an verò Metaphorico sit accipiendum?*

Resp.



Resp: *Iohannes Calvinus*, qui veteratoria malitia & perverso novitatis studio, multa Scripturę oracula pessimè pervertit, & hic sibi temperare non potest, sine omni urgente necessitate, vaticinium Propheticum non *litterali*, sed *Metaphorica* significatione accipiendum & exponendum esse contendens, nempe non respexisse Prophetam, ad hunc ipsum ingressum Messia humilem & pauperem, sed docere voluisse futuri Messia statum ac conditionem, fore scilicet eum hominem obscurum & abjectum; Et hunc esse sensum GENUINUM Prophetę.

Verum turpissimè labitur *Calvinus* & cum eo defensor *Pareus* in *Calvin. Orthod. cap. 43. lib. 2. p. m. 306. 307.* sequent. dum effecta Metaphora confundunt, quę Prophetam diligentissimè distinguit; nempe ipsum Actum, & deinde Actus qualitatem & modum; Actum ipsum Asino & pullo perficiendum docet; qualis verò sit futurus postea indicat vocula *yy* quę modum qualitatemq; notat. Neque etiam tantum simpliciter respicit ad Messia Personam, sed simul ad hunc ipsum ingressum à Messia instituendum. Secundo constans Apostolorum & Evangelistarum interpretatio satis superq; hosce redarguit Novatores, qui sensum *Metaphoricum* ignorantes vaticinium Propheticum uno ore *litteraliter* accipiunt & interpretantur, atq; sine ulla ambiguitate huic ipsi actui adcommodant complementumq; suum, eo sortitum esse docent, nempe Asino mutuatio, qui adhuc pullus fuit, Dominum Hierosolymam ingressum, idq; factum, ut impleretur, quod dictum erat à Prophetam. Si E. sensus Propheticus est *Metaphoricus*, sequitur, vel Apostolos id nescivisse, vel malitiosè dissimulasse; utrumque absurdum. Vide *Hunnium in Anti-Pareo altero Tom: 2. Oper: p. m. 991. 992. sequent.*



6. *An penes solum Papam Romanum eiusq; Clerum sit potestas interpretandi Scripturas?*

Resp: Cum Evangelistę in citatione Vaticinii Prophetici non tam ad singula Prophetę verba, quam res ipsas respexerint, & veram eiusdem interpretationem monstrarint, Pontificii arguunt: *Potestatem interpretandi Scripturas penes solos Apostolorum successores, h. e. Papam & Clerum reside- re. Ideoq; Laicis in explicatione, decisione, definitione Romano- rum Pontificum, Doctorum, Conciliorum Patrum, & tandem Ro- mane Ecclesie unice & solum standum & acquiescendum esse.*

Verum 1. Apostolos Scripturas interpretandi potesta- tem habuisse non negamus, qui immediatę donis Spiritus S. illustrati ad id *Act: 2. & in omnem veritatem ducti fuerunt, Iob: 16. v. 13.* neq; etiam solos eam retinuisse, sed fidelibus quoque successoribus eorum, qui eodem Spiritu sanctificati, licet non eodem modo, facultatem illam Linguas expo- nendi *1. Cor: 12. v. 10.* esse concessam, ultro largimur & fate- mur; sed Pontificem Romanum eiusq; Clerum tantum A- postolorum successores esse pernegamus, quippe quod pro- cul absint à tam doctrina, quam vita Apostolica; *qua de re a- lias.* 2. Pontifex cum suis modum Apostolicum, interpre- tandi, Scripturas non sequitur, quia illi non more Apo- stolorum *Scripturam per Scripturam* interpretantur, sed Scri- pturam obscuram *ex traditione Ecclesie Romanae & eiusdem declaratione* exponendam esse dicitant. Unde consensum Ecclesie multis modis Scripturam membranis contentam præ- stantiorē esse, diabolicę blasphemant. *Vide Cost: in Ench: p. 43. & Bellar: lib. de Cler: cap. 7. p. m. 72. T. 2. O. Populum etiam cir- ca Scripturas errantem pastorem sequi oportere.* 2. A- postoli in Scripturarum explicatione, nunquam suis, qua suis, expositionibus fidem habendam esse, sed scrutandum quomodo illę cum Oraculis Propheticiis congruerent, do- cuerunt

cuerunt; hinc Petrus suæ Interpretationis fundamentum
sermonem Propheticum 2. Pet. 1. v. 19. facit; Idemne Pon-
tificij?

7. An ex vaticinio Prophetico probari possit Chri-
stum esse verum Messiam?

Resp: Rabbi Aben Ezra memorat, Expositores inter
Judæos hoc Vaticinium Propheticum de Messia intellexis-
se; sed cum duos finxerint Messias alios ad filium David, a-
lios ad filium Ioseph retulisse.

Nobis sufficiat, missis eorum nugis, quod concedant
dictum hoc de Messia intelligendum; demonstramus ergo
ex eo Christum Dominum nostrum verum illum Messiam
esse; Huic autem Propheta, Sex adsignat: 1. ut sit Rex.
2. Iustus. 3. Salvator. 4. Veniat pauper. 5. Insideat Asino. 6. In-
sret Hierosolymam.

Hæc exactè competunt Christo nostro: Nam 1. Rex
est Psal. 2. v. 7. Matth. 27. v. 11. Marc. 15. v. 2. Luc. 23. v. 3. Iob. 18.

2. Iustus, non tantum Essentialiter; neq; tantum Activè,
quod iustus sit in operibus suis omnibus à peccatoribus segregatus
Iob. 8. v. 4. Heb. 7. v. 26. Esa: 53. v. 9. sed etiam Passivè qui morte
& passione sua factus est nobis Iusticia, Ier: 23. v. 6. cap. 33. v. 16.
1. Cor. 1. v. 3. 1. Tim. 1. v. 15,

3. Salvator: salvans nos non solum ab hostibus corpo-
ralibus & externis, sed & spiritualibus & internis Ps: 130.
v. 7. 8. Ose: 13. v. 14. Esa: 44. v. 22. Zach: 9. v. 11. Ps: 110. v. 2. Matth:
1. v. 21. Cor: 15. v. 55. in Hebr: est vocabulum מוֹשִׁיעַ quod Ju-
dæi contendunt non Salvatore, sed salvatum significare:
Resp: Targum ipsum activè reddit uti etiam 70. Interpretes,
per מוֹשִׁיעַ, & activè quoq; usurpatum reperies Dent: 32. v. 29.
Esa: 45. v. 17. 2. posito passivè exponendum esse, Christo ta-
men nostro aptissimè convenit. Nam diverso respectu &
salvatus & Salvator dici potest. Salvatus quidem respectu sui,



quod superata morte, omnibusq; inimicis omnem acceperit
potestatem *Matth: 28. v. 19.* Sic enim oportuit Christum pati,
& sic intrare in Gloriam, *Luc: 24. v. 26.* Salvator vero res-
ctu nostri, qui salvavit nos liberans è fovea in qua non est a-
qua, *Zach: 9. v. 11.*

4. Pauper venit, quia non habuit ubi caput reclinaret,
Matth: 8. v. 20.

5. Insedit Asino; ut testantur Evangelistæ.

6. Intravit Hierosolyman; quæ jam devastata est. E. Chri-
stus noster est verus Messias. Vide *Petrum Galat: de Arc. Cath:*
verit: lib. 4. cap. 1. Cramer: Schol. Proph. lib. 4. Diss. Gieß. 4. disp. 4.
ib, 17. p. m. 94.

8. *An Asinus sit animal impurum?*

Resp: Ita hodie nugantur *Iudei*, ut blasphement hunc
ingressum Christi, eò quod impuro insederit Asino; sed
nugæ sunt, quas prætendunt: Nam asinum simpliciter im-
purum fuisse falsum est, uti etiam æquè falsum, suo contactu
impurum aliquem effecisse; Nam si hoc esset, sanè multi
Sancti asinos non tetigissent, multo minus eis inequitassent.
Exempla in Scripturis sunt obvia. Fateor quidem inter im-
munda animalia asinos relatos, sed illud factum certo respe-
ctu, nempe ratione vel Sacrificiorum, vel etiam cibi humani;
& sic asinum immundum fuisse concedo. 2. posito etiam
suo attactu impuros effecisse. Is tamen est *Jesus* noster qui
purificat & sanctificat omnia; maledicta erat mors crucis
Deut: 21. v. 23. Gal: 3. v. 13. sed benedicta in eo, qui in cruce
passus est; 3. distinctio purorum & impurorum animalium
pertinuit ad *Legem Ceremonialem*, quæ exhibitio Messia
est abrogata.

Ad Vers: VI.

1. *An versiculus 26. Psal: 118. propriè pertineat
ad Christum?*

Resp:



Resp: *Triples sefe hic obfert Sententia: 1. Est modernorum Iudeorum, qui hæc verba de Davide esse accipienda contendunt, quos sic redarguo: 1. Quia nihil eorum, quæ integra tertia Psalmi parte continentur, Davidi convenit; 2. Quia ipsi Rabbini, de Christo intellexerunt. 3. Quia ad Eum diriguntur, à quo Ecclesiæ obvenerunt beneficia & salus. 4. Quia populus acclamans contrarium sua confessione ostendit, canens non in Davido, sed filii Davidis laudem: Osianna filio David. 5. Quia id suo calculo adprobant Apostoli.*

2. *Eorum, qui secundum relationem typi & veritatis typo adumbrata hunc locum intelligi volunt. Sed licet David Christi typus fuerit, tamen hoc loco & in hoc Psalmo typum esse negamus.*

Restat E. *Tertia, quæ nostra est, nempe Vaticinium esse hunc integrum Psalmum, quo simpliciter & historicè enunciatur de Christo, quid ei in diebus carnis suæ obventurum esset; hanc nostram sententiam firmat Apostolica auctoritas. Nam prout hæc David de Christo futura prædixit, sic in Christo ea Evangelista completa esse, docent; cum E. apud Evangelistas sit historia narrativa complementi rerum prædictarum, sequitur apud Davidem esse Vaticinium historicum rerum futurarum.*

2. *An preces non intellectæ DEO placeant?*

Resp: *Staplet in Promp: Cathol: Cost: part. 3. Conc: p. m. 507. ut recitationes Psalmorum & Orationis Dominica plerumq; Lingua Latina à monialibus institutas defendant & excusent, arripientes rationem, ex voce Osianna, quàm nec pueros adclamantes, nec turbam Iudaicam intellexisse, nihilominus tamen Christo placuisse, affirmant.*

Sed fucum faciunt Hæretici non distinguentes inter verbum unum & preces integras, sæpius verbum aliquod non exactè scitur, quod tamen reliquam orationis partem non facit



facit inefficacem; ut apud nos *Halleluia Kyrie Eleison*; & quæ sunt alia: 2. Populum non intellexisse quid fuerit *Osianna* facilius dicitur quam probatur. Pueros quod attinet, notum est DEUM in earum precibus non respicere ad *verba vel sonum*, sed *fidem à Spiritu sancto* in eorum cordibus *accensam*; 3. recitationes vero illæ sunt sine omni sensu, sine omni devotione, sine omni fide; fides enim eorum est, quæ sciuntur; Mentales vero nec vocabulum ullum sciunt vel intelligunt; dant enim sine mente sonum, quod Scriptura, *labiis Dominum honorare appellat, absente corde, Matth. 15. v. 8. Marc. 6. v. 54. Esa. 29. v. 13.* Si ergo inani sono non delectatur homo, quanto minus DEUS? sed de his satis pro instituti ratione.

SECTIO IV.

Continens

LOCOS PRACTICOS.

Ad Vers: I.

I. Christus Servator noster ultro ad instantem passionem properat, ut voluntariam esse commonstret. *Psal. 40. v. 9. Heb. 10. v. 7. Esa. 50. v. 5. 6. Ioh. 14. v. 30. Rom. 5. v. 15. Heb. 5. v. 8. Phil. 2. v. 8. Ioh. 14. v. 30. Rom. 5. v. 15. Heb. 5. v. 8. Phil. 2. v. 8. Matth. 26. v. 46. Ioh. 20. v. 15.* Dominus ergo cum tam promptus fuerit, ut pro nobis pateretur; quanto magis nos promptos esse decet, si quando nostri & veritatis causa nobis crux subeunda.

2. Sequebantur discipuli Dominum Jerusalem usq; h. e. ad locum passionis, Si fidelis tu quoq; discipulus Christi esse velis, non tantum in prosperis sed ad passionem usq; Dominum sequaris. *Matth. 16. v. 24. Mar. 8. v. 34. Luc. 9. v. 23.*

Ad

Ad Vers. II.

1. Christum Dominum nostrum nil latet, est enim omniscius, quia non ad mensuram Spiritum sanctum accepit, *Ioban: 3. v. 34.* hinc exactissimè novit etiam abditissima quæq; *Marc: 2. v. 6. Luc. 5. v. 20, 22. Matth: 9. v. 4, Matth: 22. v. 18. Iob: 1. v. 48. Apoc. 2. v. 2.*

2. Si Christus tam exactè novit asinam in bivio alligatam; quanto magis te observabit tuasq; in quibus versaris ærumnas, ponderabit & mutabit; non enim Asini & Muli, quibus deest intellectus & fræno coercentur, sed oves eius sumus *Iob: 20. v. 12* quarum lachrymas colligit *Psal: 56. v. 9.* Idq; testatur *Apoc: 2. v. 9.* Novi afflictiones & paupertatem tuam: Vide *Esa: 46. v. 3. cap. 49. v. 14, 15. Jerem: 31. v. 20. Matth: 20. v. 30. Iob: 14. v. 18. Psal: 91. v. ult.*

3. Dominus Asinam & pullum sibi adduci cûrat, i. Ne maledicto Legis onerati, ob impletionis *impossibilitatem* pereant; factus n. est ipse maledictum pro eis *Gal: 3. v. 13.* Nam quod impossibile erat Legi, hoc fecit DEUS mittens Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, quo adoptionem filiorum reciperent *Gal: 4. v. 4. Rom: 8. v. 36.*
Das ganze Gesetz hat Er erfüllt / damit seines Vatern Born gestille, der vber uns gieng alle. 2. Ne alienati à conversatione Israelis, & hospites testamentorum promissionis, spem nullam habentes, viventes sine DEO, in mundo, *Eph: 2. v. 12.* ob *indignitatem* desperent. Venite E. omnes qui laboratis & onerati estis *Matth: 11. v. 28.* Gaudete, qui longè eratis, quia facti estis propè in sanguine Christi *Eph: 2. v. 13.* Quibus enim olim dictum est: Non populus meus vos, jam dicitur: Filii DEI viventis estis, *Os: 1. v. 10.* Nihil ergo condemnationis est, in illis omnibus, qui sunt in Christo JESU, *Rom: 8. v. 1.* Quis intentabit crimina adversus electos DEI? DEUS est qui justificat *Rom: 8. v. 33.* seq:

E

AD



Ad Vers: III.

1. Semper parata est corrupta humana ratio, ut Christo eiusq; mandato obloquatur *Gen. 19. v. 12. Luc. 1. v. 34. Matth. 16. v. 22.* Animalis siquidem homo non percipit, quæ sunt Spiritus DEI *1. Cor. 2. v. 14.* Ideoq; coercenda est verbo Domini; hoc n. unum & solum est, cui contra spem in spe credere & inniti debemus *Rom. 4. v. 19.* Sein Wort laß dir gewisser seyn/ vnd ob dein Hertz sprech lauter nein/ so laß dir doch nicht rewen Huc refer exemplum Apostolorum mandato Christi sponte obedientium, & DEO cui non impossibile est omne verbum, rem totam committentium. Vid: *Gal. 1. v. 16* seq:

2. Qui omnium rerum Dominus & Creator *Gen. 1.* Spiritu suo iumenta condidit *Psal. 104. v. 30.* jam mutuatitio utitur a fello, extremam suam nobis confirmans humilitatem, qua nos ab extrema paupertate liberavit, & æternorum bonorum participes fecit *Matth. 3. v. 20. Phil. 2. v. 2.* Er ist auff Erden kommen arm/ daß Er vnser sich erbarm/ vnd in dem Himmel machet reich/ vnd seinen lieben Engeln gleich/ *ic.*

3. Qui omnipotenti sua virtute, corda regit hominum ut faciant quæ vult; eadem tuum quoq; reget, si verbo eius assensus fueris. Fides n. exauditur est, auditus autem per verbum DEI *Rom. 10. v. 17.* Ideoq; hoc Verbum ab Apostolo Potentia vocatur ad salutem omni credenti *Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 1. v. 27.* penetrabiliur ite quovis gladio ancipiti *Heb. 4. v. 12,*

4. Quibus Christus eget, ea libenter sunt concedenda. Quilibet ergo in sua vocatione intentus sit, ut ad propagationem regni Christi, quantum potest conferat, & sic Christo dimittat; fundamentum autem unum est, super quod ædificat *alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos, alius lignum & stipulam;* sed cuiusq; opus manifestum fiet, quia id dies revelabit *1. Cor. 3. v. 11.* seq.

Ad

Ad Vers: IV.

Immota est Prophetiarum oraculorum veritas. Non enim libidine hominis allata est Prophetia olim, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti DEI homines 2. Pet: I v. 21. Facit hoc 1. ad doctrinam ne dubites. Immotum namq; perstat omne verbum quod progreditur esse ore DEI; Et licet mora interdum interveniat, tamen non tardat Dominus promissum 2. Pet: 3. v. 9. Si itaq; moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Die Hoffnung wartt der rechten Zeit / was Gottes Wort zusaget / &c.

2. *Consolationem*, ne sub gravitate crucis desperes. *Verbum habes*. Ego sum vobiscum singulis diebus (E. & in diebus crucis) usq; ad finem mundi *Matth. 28. v. ult.* Item Fidelis est DEUS, qui non patietur vos tentari supra modum, sed faciet cum tentatione eventum, ut possitis sustinere, 1. Cor: I. v. 13. Quid E. te seperabit ab amore quæ est in Christo JESU? *Rom. 8. v. 35.*

Ad Vers: V.

1. Magna est Christianorum præstantia, quod eos DEUS nomine filiorum filiarumq; dignetur. Si ergo filii sunt, utique & hæredes; hæredes verò DEI; Cohæredes ergo Christi *Rom. 8. v. 17.*

2. Non est vulgaris homo Servator noster, sed potentissimus Rex, ut à Propheta vocatur. Confer *Ezech. 37. v. 24.* *Esa. 33. v. 22.* *Psal. 2. v. 6.* administrans Regnum suum. 1. in potentia, quâ generale & universale dominium obtinet super omnes creaturas in cœlo & terra *Matth. 28. v. ult.* potenter omnia gubernans, regens & disponens *Dan. 7.* dominans in medio inimicorum suorum *Psal. 110. v. 2.* eosdem evertens & puniens *Psal. 2. v. 9.* 1. Cor. 15. v. 25. *Heb. I. 2.* Gratia quâ per verbum & Sacramenta colligit sibi Ecclesiam in genere humano, adnunciariq; jubet remissionem peccatorum o-
mni-



in nibus, quotquot credunt in nomen eius. 3. *Gloria* quæ
jam fruitur in cœlestibus, resuscitabitq; electos suos, ut &
ipsi in æternum vivant, regnumq; cœlorum possideant,
Matth. 25. v. 34.

3. Mansuetus advenit Rex noster, ne suos majestate ter-
reat, sed humilitate recreet atq; reficiat. Non enim habe-
mus Regem qui non possit affici sensu infirmitatum nostra-
rum, sed tentatum in omnibus, tamen absq; peccato.

4. Christi Regnum non esse mundanum & temporale,
sed spirituale & æternum hoc regio declaratur ingressu,
qui externo quidem splendore planè caret, ideoq; coram
mundo despectus & vilis est; Attamen ita comparatus esse
debit, ut pretiosus & magnificus esset coram DEO; Scri-
ptum n. est; delebo sapientiam sapientum; I. Cor. I. v. 9 Et que
stulta sunt coram mundo elegit DEUS ut pudefaciat Sapien-
tes v. 27. 28. Qualis E. Rex & Regnum, tales decet ejusdem
Regni esse subditos.

Ad Vers. VI.

Non Auditores sed factores Verbi simus *Iacob. 1. v. 22.*
ad Exemplum discipulorum, summa industria mandatum
Domini expediuntium; sic erimus filii, Patris cœlestis vo-
luntatem perficientes *Matth. 21. v. 28.*

Ad Vers. VII.

Turba Vestimenta exuit & Domino supponit; Idem te-
deset, si tandem velis particeps fieri laudis istius coram o-
mnibus Angelis & Beatis decantandæ; Nudus fui, & ope-
ruisti me, *Matth. 25. v. 36.*

Ad Vers. VIII. & IX.

Non tantum corde, adfectu & facto, sed etiam ore Re-
gem adventantem celebrat turba; cui etiam & nos holo-
caustum labiorum nostrorum humiliter offerimus & voces
nostras extollimus, incantantes. *Osianna Filio David; Be-
nedictus qui venit in nomine Domini. Osianna in altissimis.*


617.

di

m-

22.





B. D. O. M.
COLLEGII HOMILETICI
EXERCITATIO I.

Quam

Consensu venerandæ Faculta-
tis Theologicæ

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excel-
lentissimi Viri*

Dn. JOHANNIS BEHM, S.S.
Theol. Doct. eiusdem Facultatis Se-

Magistri & DD. Censorum Aulici Bauri

